

Ingressionis pars altera
Hebraicae Scripturae rationem explanans.

§. 1. De modo Hebraice scribendi.

Ex iis, quae supra dicta sunt, hic retractatur, in scriptis Hebraicis consonantes tantum literis notari, vocales autem punctorum signis exprimi, scribendique ordinem a dextra sinistram versus deduci. Libri quoque Hebraici et manu scripti et prelo impressi plerumque sic ordinantur, ut foliorum series a dextra incipiat; quae ergo pagina nobis ultima apparet, in illis primum locum tenet.

§. 2. De literarum ordine seu de Alphabeto.

Literae numero sunt viginti duae, quibus quum viginti tres soni designandi sint, una earum puncto diacritico quod dicitur vel dextrorsum vel sinistrorsum appposito in duas dissolvitur. Literarum signa item numeris notandis inserviunt, et hoc ad normam vetustissimi ordinis, qui cunctis linguis Semiticis communis est, quemque sequens tabula exhibet.

Literae Hebraicae sic

efformantur	nominantur	pronunciantur	numeris in- serviunt.
א	<i>Aleph</i>	—	1
ב	<i>Béth</i>	b bh	2
ג	<i>Gîmel</i>	g gh	3
ד	<i>Daleth</i>	d dh	4
ה	<i>He</i>	h	5
ו	<i>Vav</i>	v	6
ז	<i>Sajin</i>	s	7
ח	<i>Chéth</i>	ch, j Hispan.	8
ט	<i>Téth</i>	t	9
י	<i>Jôd</i>	j Germ. y Angl.	10
כ, in fine ך	<i>Caph</i>	c seq. a, ch	20
ל	<i>Lamed</i>	l	30
מ, in fine ם	<i>Mêm</i>	m	40
נ, in fine ן	<i>Nûn</i>	n	50
ס	<i>Samech</i>	s	60
ע	<i>‘Ajin</i>	—	70
פ, in fine ף	<i>Pê</i>	p ph	80
צ, in fine ץ	<i>Zadê</i>	z Germ.	90
ק	<i>Kôph</i>	k q	100
ר	<i>Rêsch</i>	r	200
ש	<i>Šin</i>	s	300
ׁשׂ	<i>Schîn</i>	š sh Angl.	300
ת	<i>Tav</i>	t th	400

Annot. Litera Aleph tam leni sono pronunciantur, quam Graecorum Spiritus lenis. Sajin in Graeca Septuaginta interpretum versione et in Vulgata editione nusquam non Z sonat, v. g. זבירי *Zabdi*, זורים *Zuzim*. ‘Ajin sonum habebat gutturalem ac durissimum, cuius vera pronuntiatio haud facile describi potest. Quoniam vero a Galilaeis Christi tempore eodem atque Aleph sono efferebatur, iam plerumque legendo non pronunciantur. In Graeca et in Vulgata versione saepius

vel H vel G appellatur, v. g. עברי 'Eβραϊος, עמורה Gomorrha. Zadê in iisdem translationibus usque est S, v. g. צמריים Samaraim.

§. 3. De literarum scriptione.

Caph Mêm Nûn Phê Zadê literae in exitu singularum vocum aliter, atque in mediis vocabulis, scribendae sunt דן, נן, מן, פן; quae quidem formae appellantur literae finales et voce comprehenduntur memoriali פתח מן.

In fine versuum nefas est voces abrumpere; quare ne quid spatii vacuum remaneat, Aleph He Lamed Mêm finale Tav data occasione in mediis versibus distenduntur sic: א, ה, ל, מ, ת et vocantur literae dilatabiles, in vocem memorialem redactae אהלתם.

Tamquam notae arithmeticae sic literarum signa adhibentur, ut literae ab Aleph usque ad Têth positae significant ex ordine suo numeros denario inferiores, literae a Jôd usque Zadê positae denotent decades, reliquae autem designent centenarios. Litera autem ש semel tantum adhibetur arithmetice, puncto quidem diacritico non imposito, et ita notatur numerus 300. Numeri vero 500, 600, 700, 800, 900 ex ordine notantur literis finalibus. Inde a millenario numero denuo incipit integer ordo literarum, sic tamen, ut duobus punctis supra positus insigniantur, v. g. מ bis mille. Monades et decades et centenaria signa ita componuntur, ut nota maiorem valorem indicans a dextro latere praecedat, v. g. תלו, 436. Solus quindenarius numerus exprimitur טו 9 + 6, quoniam יה sanctum Dei nomen indicat.

§. 4. De signis vocalium, seu de Punctuatione.

Vocales cunctae, ut est sermonis humani natura, revocantur ad tres sonos principales *a*, *i*, *u*. Nam quae praeterea loquendo proferruntur, aut mediae inter illos sunt, velut *e* inter *a* et *i*, *o* inter *a* et *u*, *v* graecum inter *u* et *i*, aut ex duobus coalescunt, velut Graecorum diphthongi *av*, *ai*. Hebraicae igitur linguae diphthongi sunt nullae, mediae autem duae tantum *e*, *o*; sic in universum quinque vocales

ei obveniunt *a, e, i, o, u*, eaeque tam productae, quam correptae, sive, ut aiunt, tam longae, quam breves.

Vocales productae in sacro Bibliorum volumine saepius consonantibus Aleph Jôd Vav, quippe quarum prolatio ad vocalium appellationem proxime accedit, ita designantur, ut soni principales pro sua quisque propinquitate *ā* per א, *ī* per י, *ū* per ו notentur, mediis autem significandis binae propinquorum sonorum notae inserviant, itaque *ē* per א et י, *ō* per א et ו exprimitur, v. g. קאם *kám*, שים *sím*, לון *lún*, צאח *zéth*, בין *bén*, צון *zón*, יום *jóm*. Unde eae consonantes appellantur literae vocales vel matres lectionis. Vocalis longa sic denotata dicitur plene scripta esse, sin minus, defective, velut est גר *gār*, מת *méth*, אם *'im*; כל *cól*, קם *kūm*.

Praeterea autem, ut supra relatum est, ad significandas vocales quascunque signa peculiaria inventa sunt ac consonantibus addita. Quorum pleraque vel longitudinem vel brevitatem soni simul indicant, duo autem utrique generi inserviunt. Singula haec tabula exhibet:

Signum	nominatur	designat
—	קָמֶז <i>Kámez</i>	<i>ā</i>
—	פָּתַח <i>Páthach</i>	<i>ǎ</i>
—	זֶרֶי <i>Zeré</i>	<i>ē</i>
—	סֵגוֹל <i>Segól</i>	<i>ě</i>
—	חֵירֶק <i>Chîrek</i>	<i>ī</i> et <i>ÿ</i>
—	חֹלֶם <i>Chólem</i>	<i>ō</i>
—	קָמֶז חֲטוּף <i>Kámez-chatúph</i>	<i>ö</i>
—	קִיבּוּז <i>Kibbúz</i>	<i>ū</i> et <i>ü</i> .

Ad consonantes haec signa pariter ordinantur, atque ad lineolas in tabula appositas. Loquendo consonans priori, vocalis secundo loco effertur, hoc quippe modo: ס *sā*, ס *sě*, ס *sō* cet.; una exceptiuncula est, de qua § XI, 3 agitur.

Eadem signa ibi quoque addita sunt, ubi matres lectionis scriptae sunt, adeo ut vocales tunc dupliciter notentur,

v. g. ראש *rás*, קיר *kír*, צא *zé*, אֵין *'én*, ראש *rós*, קול *kól*. Quod ubi usu venit, mater lectionis dicitur in vocali quiescere. Unum Vav in Kibbút nusquam quiescit, sed ubi pro *u* longo est, ו scribitur et שִׁירָק *šúrek* vocatur.

In exitu vocum He quoque, utpote Aleph simillimum, haud raro in *ā*, *ē*, *ō* quiescit, v. g. הָיָה *hajá*, חוֹזֵה *chosé*, רָאוּ *ra'ó*; quando non quiescit, notatur puncto, quod מִפְּרָק *Mappík* appellant, v. g. אֲרָצָה *'arzáh* (quasi *'arzách*).

Annot. 1. Segol interdum vocalis productae loco habetur ita ut א, ה, י in eo quiescant, v. g. מְצַנָּן *m'zéná* (v. § 27) רוֹעֵה *ro'é*, שְׁתַּיִתָּה *š'tená*.

Annot. 2. Cholem cum puncto diacritico literae ש coalescit, ubi os et so legitur, v. g. שׁוֹנֵה *soné*, מוֹשֵׁה *mosé*; contra עוֹשֵׁה *'osé*, שׁוֹמֵר *šómér*. Signum ם est *ó*, quando alia vocalis nec praecedit, nec insequitur, v. g. לָשׁוֹן *lašón*; est *vo*, quando vocalis alia antecedit, v. gr. אֲוֹן *'avón*, et est *ow*, quando altera vocalis supposita est, v. gr. לוֹעֵה *lo'é*.

Annot. 3. Kámez-chatûph a Kámez sic distinguitur, ut signum ֿ tamquam breve *o* efferendum sit, quoties in syllaba in consonantem excidente et accentu carente positum est, v. g. חֹחְמָה *chöchmä*, נַחֲמָה *vajjáköm* (§. 27). Quod quum hoc loco facile non sit ad intellegendum, in grammaticis decursu patebit. In syllaba ad vocalem exeunte sonus *ö* est, quoties *o* breve postea insequitur, v. g. תּוֹבְדֵם *tööbdém*, בּוֹחֵרִי *boch^örí* (§. 18). Praeterea memorandae sunt duae voces קְדָשִׁים *ködasím*, שְׂרָשִׁים *šörasím*.

Annot. 4. In textu Bibliorum saepissime ad vocem aliquam vocales apponuntur, quae non ad ipsam, sed ad aliam lectionem signis ֿ aut ֿ indicatam et in margine positam pertinent. Sic Gen. XXX, 11 in textu legitur בְּרֵךְ, in margine autem בּא גר, id quod significat legendum esse בְּרֵךְ. Quae igitur lectio in textu obvenit, בְּרֵךְ *c'tháb* (*scriptum*), quae in margine posita est, בְּרֵךְ *k^rrí* (*legendum*) appellatur. Et haec altera vox semper ad marginalem lectionem adiicitur, v. g. בּא גר קרי sive etiam brevitatis causa בּא גר ק. Quae autem voces ubique mutandae ducuntur, iis Kerí omnino non apponitur, sed vocalibus designatur (*Kerí perpetuum*); sic in Pentateucho ex Iudaeorum opinione passim הוּא scribitur et הִי *hi'* legitur. (Cf. supra p. 10.)

§. 5. De nota שְׁׁׁׁׁ.

Punctatorum accuratio eo processit, ut etiam consonantes vocali carentes suo signo notarint. Quod signum,

quia vocalem abesse indicat, שָׁוֵי s'vâ i. e. vacuitas nomen accepit et quasi Romanorum colon duplici puncto efformatur, consonantibus autem supponitur, velut ך, ם, ף. Ad extremas vocabulorum consonantes s'vâ non apponitur, velut כף, הן; excipitur Caph velut םא, םל, et consonans finalis post alterum s'vâ, v. g. םף.

Consonantes s'vâ ornatae syllabarum vel principium vel finem faciunt. Itaque s'vâ ubi syllabam exorditur, naturaliter e brevissimo simile est et dicitur mobile; ubi syllabam claudit, audiri nequit et vocatur quiescens. Sic vocis םףלֵּךְ prius s'vâ est mobile, alterum quiescens; unde enunciatur *le'taltém*.

S'vâ tam mobile, quam quiescens communi appellatione dicitur s'vâ simplex, et sic discernitur a s'vâ composito, de quo iam agendum.

Annot. S'vâ syllabam exorditur ideoque pronuntiatur a. sub prima quaque vocis litera, b. post vocalem productam, c. cum signo geminationis (Dagesch forti, §. 7), d. post alterum s'vâ.

§. 6. De S'vâ composito seu Chateph.

S'vâ mobile interdum non significat e brevissimum, sed alius vocalis tenuissimam speciem. Quod ubi est, vocalis istius signum ad s'vâ sinistram versus apponitur (— —), et s'vâ sic instructum dicitur s'vâ compositum seu םחֶפֶּח *Chatéph*. Cuiusmodi tria sunt signa:

- a. Chateph-Pathach, velut in voce םלֹלֵה *haló*,
- b. Chateph-Segol, velut in voce םלֹלֶה *echol*,
- c. Chateph-Kamez, et hoc quidem brevissimum o indicans, velut in voce םלֹלֵי *ch'li*.

§. 7. De duplicandis literis sive de Dagesch forti.

Consonans ubi bis eadem enuncianda est, semel tantum scribitur puncto in media litera posito. Quod quidem punctum duplicans appellatur םבֶּרֶשׁ Dagesch forte, v. g. םבֶּרֶשׁל *kuttál*.

Annot. 1. Dagesch forte in fine vocabulorum non ponitur, v. g. עַל ^{ass} דַּל ^{dall}, אַמ ^{amm}.

Annot. 2. Pariter Dagesch forte nunquam apponitur ad וּ, raro ad לְ, מְ, נְ; in פֿ et טּ aliquando omittitur, v. g. וַיְהִי ^{vajj'hi}, הַלֵּל ^{hall'la}, הִינְנִי ^{hinn'ni}, הַמְבַקְשִׁים ^{hamm'bakke'sim}.

Annot. 3. Vav cum Dagesch forti coniunctum unius formae est atque Schûrek וּ; ab isto autem discernitur eo quod semper vocali et praeceditur et excipitur, v. g. עִיר ^{ur}, עִיר ^{ivver}.

§. 8. De tollenda aspiratione s. Dagesch leni et Raphê.

Consonantes sex Bêth Gîmel Daleth Caph Pe Tav, quae voce comprehenduntur memoriali בְּנֵי קִפְתָּ, quando aliam quandam consonantem sequuntur, tenuem, quando vocalem (atque adeo s'vâ mobile et compositum) excipiunt, aspiratum sonum designant; v. tab. in p. 14 pos. Ubi tenuis sonus est, puncto notantur, quod et ipsum Dagesch vocatur, lenê autem cognomen accepit, v. gr. קֶרֶב ^{kérebh}, קִרְבּוֹ ^{kirbô}, זָגָר ^{saghár}, לִיגֹר ^{lisgór}, שָׁחַר ^{sachár}, לִשְׁחָר ^{liscór}; אָתָם ^{atham}, כְּתִבְתָּם; אָדָם; לְעֵבֶר.

Unde fit, ut Dagesch lene scribatur *a.* in exordio orationis (libri, sententiae, commatis), *b.* in capite vocabulorum, quando vox anterior in consonantem exit, v. g. עַל כֵּן, *c.* in mediis et extremis vocibus, ubi s'vâ simplex praecedit, v. gr. קַטְלֵתֶם ^{ktaltém}, וַיְהִי ^{vajj'šb}.

Annot. 1. Antiquitus eadem consonantes, ubi aspiratum sonum servant, signo peculiari insignitae erant, quae erat lineola supra literam posita et רָפְהָ ^{Raphê} nomen accepit. Idem fiebat in litera He, quando Mappik non erat notata. Nunc autem ista nota plerumque omittitur et perraro in editionibus retinetur, velut Zach. IV, 7 הַרְאֵשָׁה ^{harô'sá}.

Annot. 2. Dagesch forte in istis consonantibus positum usque tenuem sonum geminat, v. g. אַבּוֹ ^{accô}, נִפְחָ ^{nuppách}.

Annot. 3. Dagesch quando in iisdem sex literis positum vocalem proxime sequitur, facile ut forte agnoscitur et sic a leni discernitur, v. g. לִשְׁבֹּחַ ^{lisbóch}, סִבְבֵּחַ ^{sibbéch}.

Annot. 4. שְׁלֵחָה (§. 35) pro שְׁלַחָה scribitur (§. 18, 1, annot. 2) servatis Dagesch leni et s'vâ (§. 5).

§. 9. De accentu.

Voces Hebraicae longe pleraeque ita enunciantur, ut accentus ultimam syllabam premat; raro admodum paenultima, nunquam antepaenultima sonus vocis admovetur. Ita vocabula sunt aut מִלְרַע *Milrá*, i. e. ὀξύτονα, v. g. מִלְךְ *malách*, aut מִלְעִיל *Milél*, i. e. παροξύτονα, v. g. מִלְכֵךְ *mélech*.

Punctatores unamquamque vocem accentus nota insigniverunt et ita quidem, ut signorum varietate simul indicaverint, quid quaeque vox in sententia valeat. Itaque istae accentus notae non enunciationem modo, verum etiam grammaticen egregie iuvant et interpunctionis nostrae loco sunt.

Unde cuncta accentus signa primum in duo genera digeruntur, prout vocabulum ex propositionis sententia ab insequente separandum aut vero cum ea coniungendum indicant. Et illa quidem dicuntur *Distinctivi*, haec autem *Coniunctivi* (accentus).

Quod ad locum attinet, partim supra, partim infra voces ponuntur, v. g. סֶפֶר *sépher*, כְּתוֹב *c'thób*; alia in capite vocabuli, alia in extrema voce collocantur, v. g. תּוֹבֵד *tobéd*, קָטַל *katál*, סֹפֵר *sophér*, קוֹהֵלֶת *kohéleth*, קוֹדֵשׁ *kódesch*, וַיִּשָּׁב *vajjášöb*, דֵּבַר *déber*, אֲנִי *aní*; plerique autem ad syllabam tono pressam apponuntur, v. g. הֻגַּד *huggád*, יוֹשֵׁבֶת *josébeth*.

Hic ii tantum *Distinctivi* afferuntur, qui maioris ad ordinandam sententiam momenti atque instar nostri puncti aut coli aut semicoli sunt.

— *Sillák* (quod semper voci ultimae supponitur itaque instar nostri puncti est.)

— *Athnách* (quae est maxima membrorum divisio in prosa oratione).

— *Merka mahpachatum* (eadem in poetarum versibus).

— *Saképh katón*.

— *Saképh gadól*.

— *Tiphchá*.

— *Segoltá* (quod in extremis vocibus ponitur).

— *R'bíá* (quod saepe directa alterius verba annunciat).

Annot. 1. Quod Iudaei in latas de accentus signis disquisitiones abierunt ac reges, duces, comites, servos inter ea constituerunt, longum videtur hic explanare.

In hoc opere signum $\acute{\text{~}}$ accentui designando inservit.

Annot. 2. In finibus versuum qui dicuntur biblicorum ponitur : et vocatur *Soph-passûk*, quod nunquam a Sillûk immune est.

Annot. 3. Quae voces numerum duarum syllabarum excedunt, iis, quando $\acute{\text{ὄξύτροποι}}$ sunt, ad primam syllabam apponitur signum quoddam, ne loquens praepropera vi ad exitum vocabuli intendat. Quod quidem signum *Métheg* vocatur et nisi loco suo a Silluk non discernitur, v. g. הַעֲמֻדִים *hà'ammudîm*, בְּעָרִים *bè'arîm*. In sic numerandis autem vocabulorum syllabis etiam $\acute{\text{š'vâ}}$ compositum atque mobile pro vocalibus habentur, quare scribitur שֶׁדִּי *sàk'dî*, כָּבֵדָה *càb'dâ*, atque adeo Ps. CXLIV, 14 מִסְבָּלִים , Ruth I, 11 בְּמַעֲרֵי .

Annot. 4. Unde fit, ut Métheg haud raro syllabis dispertiendis inseruiat et Kamez-chatuph conspicuum faciat, v. g. קֹטֶלֶה *kõt-lâ*. קָטֶלֶה *kà-t-lâ*.